EQVITIS POL



Prophetia S. Hyldegardis Brouij T. XV.
Fol. 465.
Saluatores nominantur. ab Equite ·fol. 4·

1626

Joannis Broscii Curzelouiensis
Medicinæ Doctoris ordinarii
Astrologi · post mortem ipsius
Bibliothecæ maioris Collegii in
Academia Cracouiensi · rogat
autem vt omnia quæ hic inser
ta sunt, integrè ad posteritatem
conseruentur alioquin vnitatem hanc
Destruenti anathema
Conseruanti benedictio·

intellectus
iudicat
veritatem

IX. 10. 1.

Contactus · ad punctum

Vulgaris hic oculus caligabit diffidetq plurimum.
Procul este prophani.

inter 9 et 10 reponitur Proca Dawidowa Zahrzewii Calissii impressa etsi locus non exprimatur, scriptum maledicum ab ipsis Jesuitis consensum sub nomine Zahrzewii ipso consentiente evulgatum. omnia enim quae in illo contineantur ego audivi ex ore Friderici Setembek Jesuitae, audiverunt et alii. Zahrzewius vero pungere Academiam studuit utcumque Bursarum consuetudines nullo modo scire potuit alio, quam ex relatione Jesuitarum tragoediam istam adornantium.

Contenta in hoc volumine

Ioan. Mariana Hispanus Iesuita libro 2do
Antiquis temporibus qui ex Monachis Episcopi ac summi
Pontifices extiterunt numerare vix licet, nostra aetate
unum aut alterum eorum non tam vitae integritate
quam malis artibus ambitiosos [illegible] esse perspectum
consideramus. Vide totum illud caput.



EVENTILATIO LITERARUM,

QVAS

BASILIVS GOLINIVS, ACADEMIÆ CRACOVIENSIS *RECTOR*

Ad Sochaceuiensem, aliosq; aliquot Nobilitatis Poloniæ Conuentus, ante publica Regni Comitia habitos

SCRIPSIT

De Patribus Soc. IESV, ad Academiam Cracouiens: non admittendis,

FACTA

à

Gregorio Borasto, Vtr. Iur. Doct. Regio Sacel: Secret. & Biblioth:



BRVNSBERGÆ,
Typis Georgij Schonfels
Anno M. DC. XXIII. Excell.mo D.no Petricio Autor

ILLVSTTRISSIMO ET REV.mo PRINCIPI AC DNO.

D. MARTINO SZYSKOVVSKI, EPISCOPO CRACOVIENSI, DVCI SEVERIENSI,

Academiæ Cracouienſis Cancellario, ſalutem & felicitatem.

Gregorius Boraſtus, Iur. Vtr. Doct. Regius Secret: & Biblioth.

ILLVTSRISSIME ET REVERENDISSIME PRINCEPS, DNE. DNE. COLENDISSIME.



Luſquam Patres violauit epiſtola Golinij. Me quoq; in hoc certaminum genere, non inſuetum pro Regibus pugnare, iterum obſequij gloria, & propioris Sacramenti neceßitas, in arenam emiſit. Cum enim in libertatis publicæ diſcrimine, vel interitu, calumnia publico etiam timori, aut vltioni, Callimachiam quandam, ex aliquo tyrannidis veteris, aut nouæ apparatu, inijciat, facile maiores vires, atq; momentum indicat, quàm in Patrum frontibus, togaq;. circumeat. Hiſtoria quidem, à qua audacis vocabuli

malè auctus ardor exilijt, in sui temporis acerbitate, partem alteram Regem fecit, licet nihil hodie exprimat Golinius, vltra id, quod in contemtu aut æqualitate odit. Benè tamen res haberet, nisi magni exempli celebritate nouissemus, & in Callimacho Regem odio fuisse, & querimoniæ obnoxium. Nolet fortasse hucusq; animum, verbumq; suum prodi Golinius, qui cognominis sui memor, veluti de genu pugnat, aduersus quod tota odiorum ac inuidiæ mole, & veluti corpore, non audet se erigere. Mihi quoq; dolor, & fides, admonendi magis, quàm accusandi, vlciscendiq; causa. Secundum hanc verò animi mei necessitudinem, proxima est SOCIETAS *beneficio, meritoq; ; à quo, vnà cum literis, veræ Religionis sinceritas percepta, non potuit post pietatis debitum impia esse. Nam in alijs causis, famam aut conuicium non vereor; cum de alijs in me meritis, neq; gloriari* SOCIETAS, *neq; gaudere ego possim. Erga Academiam, nulla inimicitiarum, non solùm causa, sed neq; fas, neq; audacia. Plus mihi in illo nomine, ætatis, speiq;, addo, & honoris partum. Et iam hîc separo causam præsertim cum ipsa etiam Academia, ad hoc vsq; odiorum votum, offensas, aut diuersitatem, erga Societatem, cum Rectore ita coniungere non potuerit, vt nullius neq; sanctimoniæ neq; existimationi calumniã parcere iuberet. Neq; etiam Tuæ Celsitudinis Illustrißime Princeps, in Academiæ fascibus, magnitudinem, aut Cancellarij dignitatem in Rectoris propinquo vocabulo, vlla hîc censura miscet, læditué. Propius, priusq;*

usq; Cel. tuæ est sacrorum patrocinium, & vltio. Hæc verò, á Celsitudine tua, si non audet SOCIETAS *petere, petit tamen, quidquid in Religionis, & Sacerdotij nomine, ad Antistitem, Præsulemq; suum, publicumuè, contra iniuriam & conuicium pro innocentia, aut fama, gemitum, dolorem, precesq; audet. Poscit hanc celebritatem à suo anno Golinius, vt magna criminationi fides habeatur. Quicquid Cels. tua, in suis titulis exire nunc patietur, non vnius anni memoria, sed æternitas erit. In potestate Cel. tuæ est, si non integritatem Societatis vindicare, at à sacris, & si quid aliud hîc occultiùs violatur, calumniæ successus prohibere. Stabit hinc ius, fas, Deusq; cuius auspicijs Illust. Celsitudinem tuam, non innocentem tantùm, sed felicem, cum publicis votis, opto, voueoq; Varsauiæ 12. Cal. Febr. 1623.*

Copia liſtu posłanego na ſeymik Sochaczewſki od Rektora Akademy Krakowſkiey.

Mciwy Panie Marßałku

Z Jchm̃ciami poſpołu naßymi Mciwymi pany.



AKademia Krakowſka iako zawße pod opieka y zaslona Ordinum Regni byla/ tak teraz od ſwoych aduerſarzow vciſniona/ v wm̃czow naßych WM. panow ratunku y obrony żadliwie prosi. Oycowie Jezuitowie iako wßedzie/ tak y w Academy bydz chca/ y one zgubiwßy/ ſwoie ßkolki rospoſcierac vſiluia. Na co gdy im wßelakie ſpoſoby dziwnie wymyslne niepoßly; tego roku iuz gwaltem (na armate ſie zdobywaiac) dyſputy zaczynali. Wczym wielka nieprzyſtoinosc lacno kazdy vwazy/ nietylko ze gwaltem ſie wdzieraia/ & per armatam potentiam (gdzie pod poſtawa pokorna wniſc niemogli) ale ze ſie tez tego powazaia nad aſſecuratia K. J. M. ktora namdal na bliſko przeßlym ſeymie prez J°. M. X. Arcibiſkupa Gnieznienſkiego Regni Primatem, ze nic attentowac niemieli/ az by o tem ſententia ſeymu ſtanela. Zaczym na taka ich chciwosc Politici patrzac/ wglos mowia (czegomy o nich iako o ludziach zakonnych nierozumiemy) ze oni prez te ſwoie ßkoly/ wloſki chwytaia/ a Niebo ludziom palcem vkazuiac/ſami o biema rekami ſwieckie dobra/ lapaia: Calimachia iakas/ zdaleka na ßyie ſlacheckie zaciagaiac. My im zyczemy/ aby beli beati & florentes W Kosciele/ ba y w ſwoych ßkolach/ ktorych iuz tak geſto naſadzili/ ze pochwili y

Je° M. X. Arcybiſkup powiada ze im nie dal takiego reſpõſu, bo ta ſprawa do ſeimu nie nalezy.

Klechy

klechy ze wsi wyganiáć muszą: ale przytym prosimy/ aby sie wkácik nász stárodawny y ubogi (w ktorym pod dwieście lat/ za maluchnym nádaniem/ wiernie R. P. służymy) niewdzierali. Czego v nich wyprosić niemogąc/ do wmm sie nászych M. M. Panow vciekamy/ gorąco y vsilnie prosząc/ aby to wm: Ich MM. Pánom posłom/ miedzy puncta/ polecić raczyli; żeby ci Oycowie/ sposobámi swemi arcymisternymi/ Akádemy gubić zániechali. Co gdy będzie; y szczęście swiętych przodkow Pan Bog wmm przywroci/ & libertates Wmow aliquando respirabunt. Oddaie sie przytym y z Akádemią Włask. W Wmm nászych M. M. Pánow. Z Bronowic (pod te rosypkę Krak. dla Powietrza) 26. 9b. A. 1622.

Wmow nászych M. M. Pánow

Sługá powolny

Basil. Golinius Rector Acad: Crac. mp.

Nápis tego listu był táki.

Nászemu wielce Mcwiemu Pánu Je⁰ Mci Pánu Márszałkowi z Jch Mciami pospołu nászemi Mcwemi Pány ná seymik zgromádzonemi w Sochaczewie etc. etc. od Akádemy Krakowskiey/ pilnie á pilnie należy.

Exem-

Exemplar Epistolæ Rectoris Academiæ Cracouienſis ad Comitiola Sochaczouienſia datæ; ex Polonicâ ad verbum latinè redditæ.

Magnifice Dñe Marſchalce.

Vna cum alijs Magnificis Dominis.



Cademia Cracouienſis vti ſemper ſub tutela & protectione Ordinum Regni erat, ita nunc à ſuis aduerſarijs oppreſſa, apud veſtras Dñones, Noſtros Magnificos Dños, auxilium & defenſionē ardenter poſtulat. Patres Ieſuitæ ſicut vbique ita & in Academiâ eſſe volunt, & illâ ſublatâ ſuas ſcholulas dilatare contendunt. In quo perficiendo, cum illis omnes machinationes ingenioſiſsimæ non ſucceſsiſſent, hoc anno demùm vi armatorum à ſe conquiſitorum, diſputationes ſuas inchoabant. Quâ in re magnam iniquitatem facilè quiuis percipiet: non tantùm quia illuc ſe vi ingerunt, & per armatā potentiam, quo ſub ſpecie humilitatis intrare non poterant; ſed etiam hoc audent contra aſſecurationem à S. R. M. nobis in proximè præteritis Comitijs factam, per Illmūm D. Archiepiſcopum Gneſnenſem, Regni Primatem, illos nihil attentaturos fuiſſe, ſine præuia Comitiorum conſtitutione: Vnde tantam illorum cupiditatem cernentes Politici, palam dicunt (quod nos de illis vti de viris Religioſis non ſentimus) illos per has ſuas ſcholas, villas aucupari, & Cœlum hominibus digito monſtrantes, ipſos vtrâq; manu ſæcularia bona captare, Calimachiam quandam à longè ſuper colla Nobilium attrahentes. Nos eis optamus vt

Illuſt. D. Archiepiſcopus, negat ſe tale reſponſum Academicis dediſſe, eò quod hoc negocium ad comitia non ſpectet

sint beati & florentes in Ecclesiâ, imò & in suis scholis, quas adeò multis in locis collocarunt, vt paulò post kiechas ex pagis pellere cogantur. Sed interim deposcimus, ne se in nostrum angululum antiquum & pauperem (in quo circa ducentos annos, exili fundatione, fideliter Reipub. inseruimus) ingerant. Quod cum ab illis impetrare non possimus, ad Dnōnes vrās Nrōs Magnificos Dnōs, confugimus, ardenter & obnixè postulantes, vt Vræ DD. Magnificis Dnīs Nuncijs, inter puncta id etiam commendare dignentur, vt hi Patres modis suis archimysteriosis Academiam perdere desistant. Quod vbi fuerit: & felicitatem sanctorum antecessorum Dominus Deus Dnībus vestris restituet, & libertates Dnonum Vrarum, aliquando respirabunt. Tandem me cum Academiâ gratiæ Dnonum Vrārum nostrorum Magnificorum DD. commendo. Bronovviciis (sub hanc dispersionem ob pestilentiam) 26. Nouembr. Anno Domini 1622.

Vrārum Dnonum nrorū Magnificorum Dominorum,

Seruus obsequentissimus.

BASIL. GOLINIVS

Rector Acad. Cracou. m. p.

INSCRIPTIO FVIT TALIS.

Nostro Magnifico Domino D. Marsalco vnà cum Magnificis DD. ad Comitiola congregatis Sochaczevia &c. &c. ab Academia Cracouiensi diligenter & diligenter &c.

B Euen-

Rectoris ad Conuentū literæ, tempore pestilentiæ contagionis Cracouiæ, scriptæ, missaq; fuere.



Pestilenti cælo venit Epistola; non potuit tota venire sincera. Ideò ipsa, tanquam malum à se excussura, pestem alijs infert, aut precatur,

— *quærens quibus mortifera veniat.*

Neq; in profana nomina, sed aduersus cęlo receptam æstimationem, suas, publicasq; offensas, & totum hostilitatis venenum effudit. Nec per plebeia tecta itur, aut angustæ humilitatis tegetem, vel illam vili sudantem syrmate togam, quà pronior contagioni vis, ambitiosa lues grassatur. Templum, rostra, solium, & summa repente decora, intimaq; regni potentia, in Comitiorum hodie opibus, quæ fata tot populis dabunt, attoniti auxilij inuocatione inuaduntur.

Variè à varijs Conuentibus exceptæ.

Sanè non omnibus eadem animorum & conscientiæ necessitudo. Vt in quemq; incidit affectum querela, ita trahens dubios, vel obnoxios, aut melioribus studijs repulsa, ingentis voti successus, per incertæ contentionis fluctus fatigat. Et erat, quod duo maxima, Academiam, inquam & Societatem, ancipiti consiliorum æstu collideret, de se, & seculo suo sententiam laturum. Multis ingens nomen, & geminę ætatis merita, amorq;, reuerentiam & simplicitatem confundere. Alij audentioribus spacijs, consensum, iram, vindictam, vetera ac recentia odia sociare, auctoritatem polliceri, tanquam aut illud Academia fuisset, aut Golinius, ius falq; attulisset. Alius alibi impetus, vbi diuersæ spes, & vera, aut simulata caritas, vel adulatio aut constantia, & quicquid nunc specie, nunc veritate, studijs partium circumdatur. Quidam, quod negari humanitati non potuit, literas

A Ducentis annis Academia Cracouiensis floret.

Conuentuq; nefas tanto decernere dignum.

ras

ras ad dexteram, non animum admittere; alij statim à publicæ velut valetudinis contactu eas eijcere. Et quamuis cuncta venerantium officia, & miserabiliter venientium necessitatum velamenta atq; infulas, precibus præferrent, adijcerentq; promissa, quanta à nullâ hactenus virium beneuolentia, à nullius spei lætitiâ, optare libertas ausa fuerat, tamen sollicitæ sanitatis fidem non impleuêre. Et nescio, quid metuit, aut sperat iam Epistola, antequam Epistola esse incipiat, hoc est, antequam seq; & preces aperiat. Nam supra liberalem, & ingenuum, aut non timidum scribendi morem anxia, & tanquam arcano suo, iuriue diffidens, clausa adhuc, & in extimæ inscriptionis fronte, ab Academia Cracouiensi se adesse, non Academiæ fronte, aut securitate, per geminatæ vocis diligentiam, credi rogat. Quasi enim operosæ admissionis fiduciam amisisset, nisi Academia inuictæ auctoritatis titulos, & dignitatem suam comendasset, id timidæ chartæ spei inscripsit, quod nulla seueritas excludere potuisset. Non si te

— Veneris commendet epistola Marti,

venula, venustulaq; eris, vel vllas Veneres aut venustates habebis, cum sine modestia, sine verecundia, sine innocentia venis. Veneratur quidem, & fidei suæ, atq; honori Academiam integram & incolumem, decus ac potestas omnis seruat. Nemo enim, ita ingenio, moribusq;, & diuersi instituti ferociâ, à publica ciuilitate aufertur, vt non ad illius nominis fasces, totius asperitatis ferrum, iramq; submittat. Plus illic, quàm literæ; maius, quàm eruditio, gloriam & culmen faciunt, & illud, quod admiramur, vt magnum, & colimus vt summum. Tam supra dignitates omnes extat, quàm dare omnes potest. Prætterquam enim, quod inter primas potentiæ ambitiones

In superscriptione erat: Od Academiey Krak. pilnie à pilnie nalezy ab Academia Cracouiensi diligenter & diligenter spectat.

Academiæ nihil derogatur cuius dignitas hic integra & illæsa seruatur.

Eius laus

nes, primasq; regni spes, Regibus etiam rata sceptra, & regnandi fiduciam suo suffragio mittit, hæc illa est, non doctrinæ solùm omnis Antistita, sed ciuili atis & disciplinæ parens, & alumna; vnde circumfusa solio decora, indolem & decus hauriunt, vnde prudentiæ vniuersæ domesticæ, columnæ firmitatem accipiunt, vnde iuuentus fiduciam, proceres Magnitudinem, ordo omnis spem, aut robur sumit. Non fas itaq; erat, quicquid illa precibus aut consilio, à publici debiti necessitudine, meritisq; suis reposcit; quicquid à Patria, aut rursus à sobole, pignoribusq; suis petit, repetitùe, in dubium, aut ad diffidentiæ tesseram vocare.

Remouetur ab Academia in solum Rectorem, cõuicium & calumnia.

Cæterum, non hîc accusationis discrimen, vel immanitatem, intrauit gratitudo, aut querelæ causam inuenit conuicium. Aliunde contumelia exijt, aliorsum incedit, & alienos tam habitus, quàm animos assumpsit, non magis egressura per innocentiam, quàm ingressa est, per integritatem, & Academiam; quamuis in nomine, & fulgore eius trahatur ab eo, qui hæc infectis nuper, & veluti pallẽtibus suffragijs sibi, nominiq; suo induit.

Fatuos, rudesq; quærit Illudat quibus, auferatq; mentem.

Hinc, quicquid expectabatur sincerum, quicquid sperabatur generosum, vires aut specimen virium rapuit, & per ipsas ostentationis insidias, vel mendacia, ad iustitiæ & vltionis fiduciam, impar votum erigit.

Aliud Lacon, aliud asinus eius portat.

Neq; tamen ita Academia necessitatibus Rectoris, muneriq; eius ac officio illigatur, vt eadem vtriq; sors, & existimatio subeunda sit, non magis quàm eadem est vtriq; calumniæ coniunctio.

Persona, pallæq; repertor honestæ.

Sic quoq;, cùm tota consiliorum sinceritas adest, cùm plena vota facit sanitas, non tamen felicitas semper rebus constat, vt in Magistratuum omnium censu prosperitatem gloria, vtilitasq; inueniat. Academia verò etiam,

non

non sic in consensum trahentis imperij obsequio devincitur, & Rectoribus, vt literarij illi fasces, summi cognominis potestate, non aliquid in vota, in calamū in preces, in verba mittant, quod totius Academiæ, neq; prudētia neq; ciuilitas, per sua iudicia, sententiamq;, ac sæpe oculos, non dimisit. Destituit sæpe integras regnorum curas, & sollicitam populorum cautionem, quæsita Regis salubritas; neq; Rerumpubl. semper fata, in optimi Principis salubritatatē coiere. Quicquid Golinius Academiæ Rector, in rumores, in suspicionem, in conuicium Patrū Soc. IESV exire iussit, aut emisit ipse, omniū ex Academia acerbitas, atq; iracundia, vel malignitas esse non potest. Multorum enim pietas, atq; prudentia, de publica, priuataq; Religionis innocentia, studijsq;, modestiùs atq; sanctiùs, non tantùm loquitur, sed sentit. Nec Academiæ totius, & tanti consensus conscientia est, alienæ famæ iniuriam auctoritate facere; aut integritas, approbatione firmare, etiamsi ad sacrorum nominum violationem non ascendat calumnia. Illam tamen fortè in Rectoris imperioso annulo, papyroq;, & magnæ appellationis splendore respiciet admiratio, famaq;, per cuius ille titulos, in tam animosæ criminationis licentiam erupit. Hinc quidem verba, dolor, & publicarum vtilitatum contumax professio ingentis simulationis audaciam accinxêre; Hinc tota accusationis iactantia superbiam, fascesq; sumpsit. Nullæ tamen soliti, aut insoliti artificij blanditiæ, nulla insidiarum dignitas efficiet, vt in vno ore omnes calumniam consignasse, & nefas publicum fecisse credamus. Maneant, & manebunt sui cuiq; animi, suæ cuiq; integritatis vis, causamq; licebit diuidere, vt in libertate ac priuilegijs, purpura, togaq;

Non semper optimū quemq; electio inuenit.

Licet animosum esse, dum id iure fiat.

& fortuna omnis Academiæ conseruetur, impietate, & iniuriâ non violetur neq; violet. Quod si de iure, & salute Academiæ agitur, cur hoc ipsum, non iure, non debito legũ more agitur? procul omnis sacerdotij, religionis violatione, procul impij, & rebellis arcant inuidia, procul deniq; degeneri illa actionis parte, quæ per occulti, aut manifesti mali artes ad contumeliam, & probrum, odiumq; plusquam priuatum, vadit? Decet innocentiæ fiduciâ subnixum, magna modestiæ & tranquillitatis constantia. Quicquid pro legibus, pro pietate venit, simile sit, pium sit & legitimũ, neq; scelere quæsito, alieni sceleris fidem quęrat. Quicquid pro libertate, pro liberalibus disciplinis, pro sinceritate geritur, diciturq;, sinceritas ipsa doceat, & vbiq; sit tam liberalis æquitas, quàm æqualis libertas. Hiscè constitutis, aut impetratis, nihil Soc: intra aperti aut secreti voti ambitiones, nihil in rumore, in opinione, nihil in vlla facinorum parte reconditum, abstrusumq; habet, quod non animis, non humanitati meritisq; deferat Academiæ; in his non alienam tantùm, verùm etiam suam oppignoratam habet innocentiam. Quàm supra alios eruditionis maiestate, tam æstimationis altitudine esse decet Academiam, neq; in vilem, & plebeiæ togæ malitiam, suspicaci metu, & leuissimo affectuum, credulitate descendere. Malè de Religione, deq; sacris statuisset pietas, malè de doctrinâ omni decreuisset prudentia, si tam facilè Academia odisset, quàm impudenter conuiciantur infesti: Quodcunq; odium, aut nefas, male ambulantem per pulpita, aut alias necessitates, de Soc[te]: opinionem, in Academiarum periculum armauit, quid nisi odij, & inuidiæ nefas est? Animos eius erga alias, aut hanc

pub-

publicæ eruditionis parentem. vt maligni è suo censu, moribusq; æstimabunt, ita bonorum conscientia, non nisi ex innocentiæ trutinâ expendet. Priuatis affectibus publicos donare, sicut iniquum, ita immite est. Multa inter vtrosq; communia; quædam æqualia, & eò magis, quò maiora ac illa quibus nihil maius, pietatem, dico, ad quam vtrinq; voce, institutione, præmio itis. Secundùm nomen literæ, quæ, (si qua illis fides) non sinent esse inimicos, aut feros. Nec Soc[ti]; aliud votum, quàm nomen, pariter animos, operam, obsequium sociare.

— Purpureis vt des noua nomina fastis

Ignosces interim Golini, si ad plures, quàm misisti, hæc Epistola tua mittetur, non tamen ad plura; quanquam plus nimio illic fuit, vbi plusquàm integritas, & innocentia dictauit, effudère inimicitiæ & calumnia; cum, si integra, veraq; attulisses; totius tibi consensus orbis acclamare potuisset

— felicia tempora, quæ te
Moribus opponunt! —

Exordium Epistolæ

Veruntamen, (vt iam hoc initio à te quæram)

Dicturus dubia pro libertate —

proq; officij tui successibus,

Quid est, quod animo tuo ægrè est,

vt repentè veluti aquam poscas tam supplice, afflictoq; literarum initio? *Quemadmodum*, inquis,,
,, *Academia hactenus semper sub Ordinum*
,, *Regni patrocinio fuit, ita nunc ab Aduersa-*
,, *rijs impetita, præsidium, omnium affectuum*
,, *viribus rogat.* ,,

Res agitur intus magna, par annis —

ducentis. Tot enim stetit viguitq; Academia, Iesuitarum nunc impetu ruitura, nisi humeros supponant Ordines, aduersus illud

— quicquid subiti, & magni discriminis instat.

Et

Et hoc suffecit accusatoriâ, & Rectoris dignitate dicere. Documenta & aduersarios, ac facinus, nondum in proprijs malorum nominibus publicæ expectationi designat, sed premit adhuc; an quærit? quid nisi illo iure, quo sibi lupus imbellem pecudem inferiore in fluminis ripa aquas aliò fluentes turbare, irascebatur.

- *Conuerso nomine de te fabula narretur.*

Fient ista palam, cupient & acta referri:

Magnoitaq; iam animo, &

Tanquam de scelere, & fidei violatæ crimine —

conuicta pericula trahens, ad vltionem continuò trepidantis præsidij necessitatem appellat. Exhorruit sollicitati auxilij magnitudo, timens quantum accusatio, seculo nefas nunciaret, propter quod publici conuentus, & Nobilitas, nec minor, quàm Comitiorum potestas, inuocaretur. Conferat sanè in hanc inimicitiam, omnes odiorum affectus; accipiat frontem totam fiduciæ, hostilitas; impleat accusationis immanitatem ira. Dum tamen publicam circa se tenet expectationem, dum multum vndiq; palloris attoniti colligit,

Quid tanto dignum feret hic promissor hiatu?

„ *Patres Iesuitæ, sicut vbiq;, ita in hac Acade-*
„ *mia esse volunt, illa sublatâ suas scholas dila-*
„ *tare conantur.*

Quid? an iam

— — Pæno milite portas frangit —

Annibal? aut Persarum opes, & Indiæ aurum intrat Macedo? nec hodie fabula est, & irritus vatum rumor, decepta simul & euersa Troia?

Victoria, introisse, erit.

— scandit fatalis machina muros:

quid dubitamus, quin simul

Vrbs antiqua ruit, multos dominata per annos.

Niml-

Nimirum, dum ſtulta procerum, vulgiq; ſtudia, equum fallaci vtero, exitium & nefas ferentem, tanquam Palladi gratum munus ſe inducere putant

— columen euerſum occidit
Pollentis Aſiæ, cælitûm egregius labor.

Quid nunc etiam aliud, in fata Academiæ compoſitus dolus, atq; malignum fabricatur ſecretum, in quod Patrum

— irata virtus abditur?

qui Troiam hanc mox totam rapturi, nunc

— in voto latent?

& inani ſtudiorum ſpecie, magnæ ambitionis cupiditates abſcondunt? Quod ſi ita eſt nunquam ſe iuſtius dolor irritauit; nec iniqua minus curarum vltione ad ſecuritatem metus contendit, ſi quicquid adhuc incolume eſt, perdi, & perire non vult. Quisquis ergò beneficium vnquam Academiæ, in aliqua parte vitæ aut humanitatis retinet, huc animos, manuſq; præſtate. Quicunq; idem nomen, in vllo terrarum, aut literarum libero puluere ſubijt, nouiſsimam gratitudinem adferte, qua non opes, non ſplẽdorem, nec ſuperba felicium matrum merita poſcit, ſed vltimam ſalutem, & poſtrema periclitantium vota. Sed, ſi quis eſt magnorum odiorum pudor, cur non à metu, & ſuſpicione, nefas, & diſcrimen, ac facinus diſtinguimus? Tunc quoq; cùm timetur, cùm trepidatur non timori tantùm, ſed etiam iracundiæ innocentiam licet ſeruare,

Aliud ſuſpicari, aliud eſt accuſare; nec timeri vſq; ad calumniam licet

Seruata ſemper lege, & ratione loquendi,

Vt non plus in affectu, quàm in cauſis ſit. In Rectore quidem Academiæ, decuerat etiam ſimultates trans religionis ſepta deſinere; nec calumniam illud ſacrorum pectus intrare, vnde veritatis, & morum leges, publici exempli doctrinęq; fata, pietaſq; ſimul &

eruditio, in tam illustri cognomine accipiunt. Nam, cur malignã, rei non vnius sed multiplicis, & diuersæ, falsã atq; repugnantem coniunctionem, vltra Patrum vota extendimus, vt plus in querela, & suspicione de eis componatur, quàm illi in consilijs ac (si libet) ambitione, astu, machinationibus reponunt? Creditur quidem etiam plusquam Diui Petri templo Cracouiensi, per tot sumptuum colluctationes, & velut repugnantia fundamenta, ad fastigium ęgrè educto eos non minore quàm Collegij expectatione, nec angustiore, quàm publicæ professionis fiducià sacrorũ suorũ spem olim fundasse. Verius tamẽ est, fortuitæ magis hominum, temporumq; liberalitati, & ad pietatem tantum destinatæ munificentiæ prima templi auspicia deberi, nec vlla fabricæ consilia scholarum votum intrasse, aut Collegij vllius insidias venturæ moli laborasse. Nunc verò, quid studijs, animisq; optent, & quid reliquarum vtilitatum atq; successuum titulis adijci cupiant, non tacitis machinationibus, neq; diuersis cuniculis, sed manifestis precibus, & publicatæ destinationis vocibus petunt. Id vt impetrent, neue impetrent publicũ fatũ & potestas est. Quare nunc quoq; post immensum illud, & infinitum Epistolæ incertum, quod *Varia „ media mirificè excogitata*, in his tantùm vocabulis Conuentui publico offert, an non pluris publica, priuataq; Nobilitatis conscientia, grauitas, prudentia erunt? aut

Prona est timori semper in peius fides.

Libera si dentur suffragia —

nonnè deliberatiora iudicia exibunt, quàm vt hic in Conuentibus prima arbitria dein alibi, maiores congressus, & Comitia ipsa, cõfuso verborum & facinorum transitu, aut tumultuosa suspicionum & verita-

ritatis æstimatione, transuolent, conturbent, oppleantq; Nam hæc quoq; pars magna innocentię est, non ignorare quid damnes. Quamuis ergo Golnius

Cupit vos esse nequam, tamen eritis frugi bonæ ne ituri ad Comitia voti clamoribus plus credatis, mandetisuè, quàm ipse hic vobis, hoc est veritati probauit: nisi si hoc assequetur, vt dum *Varia me-,, dia mirificè à Iesuitis excogitata* scribit, mirificè id excogitasse ipse credatur. Videmus enim, vel inuidemus, esse liberale eorum institutum, non ex tristissimis, neq; occultissimis tabulis morum; quodq; nullis se syluis antris, tenebrisuè, neq; solitudine secretum, spemq; abscondit, sed clara, atq; illustria, vsq; ad calumniæ indignationem petit. Vestis non splendore neq; squalore mæsta, inuidauè, neq; captiuo angustiarum cinctu, à conspectu, & rumore, astricta. Totum, qua lubet

Tunc, cùm mirificè spe rabat se esse locutum

agedum excutedum pallium
Tuo arbitratu ne inter tunicas habeant —

occultatas artes, mirificeq; ab ipsis excogitatas, vt mirantes, aut expectantes tandem expleas.

Promitto tibi non obfuturum, si id hodie effeceris

Sed alia tibi est curatio, vt dimissis omnibus Iuris necessitatibus, quà facillimus est ad vltionem transitus, precibus, iraq; festines. Talis enim illa

verbosa, & grandis Epistola venit,

domini consilijs, fascibusq; inflata. Et quamuis alicubi obuiâ ambitione, & simili voto excipiatur, alibi tamen, & hîc irrita

Circuit, & fatuos non inuenit —
— *ex quo suffragia nulli Vendit*

nobilitas non libera tantùm, sed pro libertate quàm animosa, tàm sincera, neq; simulatione, spe, iracundia aufertur; quibus nunc ferè stipendijs, vni-

Aliam quercum excute.

versa contra Iesuitas militia pugnat, vt ipsas etiam virtutes odisse placeat, dummmodo oderint. Rectorem etiam damna, aut discrimen, vel nescio quæ ignominia mouet Postquam enim eos, iam diu mirificos tollendæ Academiæ modos effinxisse, sed omnibus hactenus ausis excidisse, dixisset, *hoc tamen tandem anno, ad arma se proripientes, vi disputationem instituisse, incusat.* Quid? in eo salus, aut decus Academiæ vertebatur? ne disputatio alibi, quàm inter Academiæ muros haberetur? aut non nisi sub Rectoris fascibus hoc certaminum curriculum emittitur? An hîc prasina suum Caligulam? aut veneta suum Vitellium factio habet? nec licet Vero Antonino suam, aut purpureæ auratæque auctori suam spectare? Nihil quidem Academiæ tam proprium, suumque & veluti hæreditarium, quam studia. In his potestas gloriaque eius superbit; in his laureati fasces eruditæ maiestatis honorem, & potentiam implent. Quæ, si barbaries aut vis, gemina literarum, & doctæ quietis pernicies inuaserint, nullum nomẽ Academiæ, & eruditioni reliquum erit. Barbariem nemo ad comparationem Patribus obijcit, & hîc

Quem timueris, hunc oderis.

Rarus sermo illis, & magna libido tacendi

qui odijs & inuidia contra pugnant, cum alia omnia aduersus infesti nominis incrementa conquirant. Hæc tamen illa Rhodus, hîc saltus iure esset, in quo suffragia, iudicia, palmaque gloriosè hosti aut æmulo eripienda esset. Nam cur non

— Hoc potiùs libeat decurrere campo,

qui solus literarum arbitrio, gloriæque inscriptus est.

su-

— *sume superbiam*
Quæsitam meritis —
inuicta etiam, vbi inuisa, Societas. Nemo in illa acie vbi hostilitatem gerit, tela contrà gestat; neq; vlli contumax aduersus huius nominis potentiam quæ in eruditione versatur, fiducia venit. Vniuersam calumniam aliò flexit, aliudq; per odium latus, salutem petit tuam, Rector. Arma enim, & vim inuenit; quia de his tantùm in iure actio est; de doctrina, penitus nulla; neq; tamen quicquam, nisi disputationem publicam producit,

Arma & vis, falsò Patribus obiecta, tanquam ad Disputationem adhibita.

Nimis hic mortalis doctus, nimis versutus est si hoc vim, & arma appellat. Nam hæc quidem sola Patribus arma; hæ vires sunt; studia inquam, & quicquid publicè, aut publicum faciunt, circa studia, & eruditi pulueris certamina. Si quæ alia vis, aliaq; arma fuere, cur non Epistola in suo Spartaco, aut proprij ergastuli duce Lentulo, vel deniq; alio aliquo

— *de gente hircosa Centurionum*

monstrauit? Breuissimæ sententiæ compendio, dixisses non ducem tantùm, sed tela, manus, signa homines etiam fundosq;,

Quorum è sulcis legiones —
Cum Clypeis nascuntur, & horrida bella capessunt:

An soli ad hanc vim, tanquam animosum impetum, è gemino Vrbis secreto Ignatiani exiliêre,

Fit sonus erumpunt crebri, nondumq; creati:

— *tanquam & tubicen surrexerit unâ,*

& quantum Academiam vincere, aut obruere posset? Tu quidem,

Accipe belligeræ crudum thoraca Mineruæ

tanquam Rector,

— *Magno quantus mucrone minatur*
Noctibus hybernis, & sidera terret Orion,

quà præit aliquis,

Cum collatino ventre, & oculis herbeis,
Iam pridem, cui rauca cohors cui tympna cedunt.

Nec defuissent contra Iesuitas auxilia, in tam magno inq; illo domestico studiorum regno, si omnes vndiq; aduocasses

Ætneos fratres, cælo capita alta ferentes

aliosq; quibus per tenebras, & noctem

— Magnis fumabant pultibus ollæ,

aut peregrinâ è toga manum, quæ, vilissimi stipendij obsequio quotidiè

— tunicatum cum sale mordet
Cæpe, & farratâ pueris plaudentibus olla
Pannosam fecem morientis sorbet aceti.

An iam sonuêre tubæ, & totum in oculis manibusq; prælium est?

Nimia memores mira —

& quæ tibi tantùm paria sint, neq; alijs credibilia, nisi Rectoris decreto iubeas esse vera. Nam plusquam arma, in verbi domestici magnitudine exprimis, quia *armatę* dicis; quę iam exercitus est, & par bello manus. Hæc verò vbi parata? vbi instructa? vbi educta? An simul cum disputationis edicto, tota circumiacentium camporum

Armate.

Armatum apparatum.

Bellatrix tunc gleba, quati, pariterq; creari;
Armariq; phalanx, totisq; insurgere campis

Iam dextras in bella parant.

cæpit? & iam insignia, telaq; contra Academiam nata habuit? Postquam verò educta arma, visq; vires, & fiduciam habuêre, vbi impetum & sæuitiam sumsit, & illud, quod disputationem violentam fecit? In nullius hominis metu, discrimine, fuga, vulnere, aut sanguine, iniuria liuescit, aut cruenta est, aut gemit dolor, vbi terrorem, & immanitatem consumsit? aut vbi Academici fasces violati, fractiq;? Venêre quidē illi in mediam disputationē totius terroris maiestate, quis tela aut arma opposuit, quamuis ignominiam ipsi &

lu-

ludibrium confessui toti portarent, quamuis indignationem & pœnam, & piaculum summæ potestatis voce minarentur, vel iam pronunciarent? Nulla illic vis, nisi quam ipsi ferebant. Disputationum vna in ædibus erat priuatis, in quantum religio quicquam priuatum habet· an excubiæ & ferrum aditus obsedêre? Altera intra templi & sacrorum reuerentiam instituta quem nisi inde vultum, moresq; habuit? nisi si fingas disputationem, vim & periculum fugientem, ad tẽplum confugisse. Quod si tamen arma aliqua fores claudebãt, quânam Academiæ insignia, vsq; ad iratũ illud libertatis simul, & auctoritatis edictum intrauêre, penetrauêre, cõstitêre, donec murmur omne & maiora fulmina explerent? aut quà post hęc omnia, post disputationis quietem violatam, post suas tm̃ cominationes, iracũdi fasces, sed integri, sed intacti exiêre? Sin armatam vim & apparatum in gladijs fortasse, & ferro significas, quod aliquorum latera cingebat, quos rei celebritas, aut sua humanitas vel herilis obsequij necessitas adducebat, nimis longinquum & ignotum simulas, aut loqueris. Poteras hoc alicubi memorare.

Vltra Sauromatas, *Veruecum in Patria.*

apud — *Baotûm in crasso* — *aere natos*,

quibus intra gentilitiæ paupertatis solitudinem, & angustias natis,

A scrobe vel sulco redeuntibus —

nullius splendoris opulentia occurrit, & qui *Quorum cophinus, fœnumq; suppellex.*

— *rastra & sarcula tantùm*

Assueti coquere,

suæ alienæue nobilitatis & armorum etiam in pace fulgorem, marris & vomere examinant, aut natiuæ sordis tenacitate ponderant. Nosti quo hîc famulitij, & magnificentiæ apparatu procerum dignitates conspiciantur; nosti etiam eos, qui ad disputationis

co-

cohonestandæ libertatem, officiorum, munerumq; suorum totâ cum mole & beneuolentia descendêre, elige, nomina, ostende violentiam, monstra ducem, socios, militem. Sin alia etiam arma explorasti, nec falsò

— Magna malæ superest audacia causæ

iam nunc quidem ea, in consilijs, dextrisq; suis & toto facinoris indicio,

In statione sua, atq; expectantibus —

Deinde esto quamuis sanus, & indomitus.

omnibus vrgentibusq; & inuentum, odiumq; tuum animantibus inimicis, ede, prode, euulga,

Vt dignus venias cderis, & imagine macrâ

inter Academiæ titulos statuendâ. Quantus id nunc inuidiæ populus expectat, tanta tunc te lætitiæ turba circumstabit;

— nec fædum alij, nec turpe putabunt,

qui etiam in magnæ cum Patribus amicitiæ simulatione, maiora odia abscondunt.

Fas odisse viros, atq; omnia ferre sub auras
Si qua tegunt —

aut teguntur. Sin nusquam arma sunt, nusquam fuêre, finge

Albanos Musas in monte locutas,
Cum tecta Colcho luna vapulat Rhombo.

Adde locum, titulos, & magnorum exemplorum prosperum nefas, quod per illata furto arma, fidem atq; successum sceleris habuit aliquando, aut quæsiuit,

— & illud
Quod mecum ignorat —

An disputatio sola vim significet.

fas, fama, rumor, &

Qui tonsor fuerat totâ notißimus Vrbe,

cuius nihil hactenus aures fugit; præsertim, cum hic contra Iesuitas, falsum, fictumq;, non falsus fictusq;

favor

fauor excepturus sit. Num extra, arma & vim, disputatio à te in crimen vocetur,

— censore opus est, an aruspice nobis?

Vtrum enim, aut ius violet, aut speciem faciat, rapiatuè Academiæ, disputatio publicè instituta, paulò ante quæsiui & nunc

Nullus est tam parui precij, quin pudeat, inimicitijs tuis concedere, aut propriæ stultitiæ, inscitiæq; dissimulationi dare. Nam in vestra Vrbe, annon etiam alia illa religiosi muri angustijs clausa sacrorum disciplina, quæ Academicę libertatis, nominisq; pars non est, hac studiorum tamen libertate, hac animorum, & profectus mutui exercitatione gaudet illæsa, & nullius inuidiâ, calumniâ vel terrore violata? Si Cracouia exire libet, per aliarum Ciuitatum, & Academiarum consuetudines, libertatemq;, vbi hi

— fremitus, & murmura magna minarum?

vbi hi

Strepitus, crepitus, sonitus, tonitrus—

quibus Dictatura tua inhorruit eodem tumultu

—Martis frameam, & Cirrhæi spicula vatis,
— & Herculeos arcus, hastamq; Mineruæ

in Patrum ceruices iaciens? Hanc tu nimirum, in tui Consulatus palmatam togam, intexere purpuram properas, vt inter fastos Goleniani anni, Iesuitarum excidium legatur, dum magno hoc ex mustacco laureolam petis. Non examino vltra odium, quia quò ascendat, non habet. Quod enim in aliarum Religionum vsu, factisq; publicæ exercitationis lætitia passim excipitur, neq; Academiæ integritatem, iuraq; lædit, idnè à solis Patrum titulis, noxium, atq; exitiabile

Garganum mugire putes.

— Quantas iaculatur Monychus ornos.

Dabitur nostris quoque purpura fusis.

Audistisnè aliquem, tergo qui sustulit orbem.

— *non secus, est, quàm si ab Acheronte veniat?*

Alibi etiam, vbi infra Academiarum appellationem, honoremq́ꝫ, ciuitatum atq́ꝫ oppidorum tenues res iacent, quoties festiuæ diei celebritas, & coeuntium prouinciarum consessus, disputationis publicæ famam inuitant? facinusq́ꝫ hoc intra laudem, & vtilitatē est? & super proceres, infulæ non domesticę tantum, sed Romani fastigij vices indutæ magnę approbationis gloriam attulere? Nunquam etiam Rectorũ vlla indignatio, huic rei diem dixit, aut infesti nominis accusationem, per tribunalia & comitia traxit. Patres, quos legibus, moribusq́ꝫ debita congregauit frequentia, vt aliarum Religionum consuetudini, vt suis institutis satisfacerent, binæ disputationis præconio clasicum contra Academiã cecinisse, qua tandem malorum in necessitate credi iubes? Nimis

Acer, & indomitus, libertatisq́; magister

perspicax, repperisti in solis illis, quod in nulla iuris, aut odiorum lege alibi vidisti aut cruciasti.

— *Nescio quid ferox*
Decreuit intus animus, & nondum sibi
Audet fateri —

Iam enim non factum modo Patrum, sed votum accusatur, spesq́ꝫ ipsa timetur fortasse, aut incertæ spei audacia? Quænam hæc timoris industria, in futurum emissa, tam felix certaq́ꝫ

Indicijs monstrare recentibus abdita rerum?

An plus enim, quam publicæ disputationis fiducia latet? & veluti rapiendæ omnibus disciplinis cathedræ Cracouiensis malignum omen luctatur, totam scholarũ possessionem iam in occulti fati ambitionē per minoris facinoris successus, prætentans? Agnosco voces, & non paruo sudantes tumultu rumores; iure nempe timendos hos esse Manlios, qui iam illa lite-

Disputationes licitè liberèq́ꝫ habentur, etiam vbi Academiæ non sunt.

Tempore Cōgregationis Prouincialis disputationes duæ, more aliorum etiam Religiosorũ habita sūt à Patribus

Vltra factum, aliquid in Patribus solis timetur, idq́ꝫ simul accusatur.

literarum regno parando præmittunt: ē malleorum genere sunt, vtrinque feriunt, & quà minantur & quà non minantur. Sic quidem non obscurè se experitur calumnia, & quicquid illud est, quod huiusmodi metus aut fumos,

— *Crudum pauonem in balnea portat,*

cui decoquendo nulla charitatis sacramenta, nulla pietatis Ætna par erit, si durabunt odia, quamdiu animi; & rumores, quamdiu linguæ, etiamsi auctoritatem opponat religio, & sanctimonia. Adeo hodie.

Haud cuiuis promtum est, murmur, humilesque susurros
Tollere de templis —

Postquam liuor intrauit, sed alio quocunque sub nomine etiam falso, vt hic paulò ante in armis vique, & quod modo nomen non habet. Ita est; & inter edētulę iracundię sibila, quà tamen spisissimū est odiū, *video hiantes non audio.* Mirum nihilominùs est, timoris huius viuacitatem, sola Iesuitarum pulpita, à Cracouiensis omnis communicationis spe repellere; alias ibi religiosas Cathedras, libertatemque, & non oppressam doctrinam, liberaliter spectari, fouerique. An hæc vna, nescio quo,

— *Serpente Ciconia pullos Nutrit* —

aut peiore lacte vipera, vt iam ante omnia maturitatis vota etiam matri metuenda sit, si admittatur ad sinum. Quid enim tandem illud? annon eadem, quæ cæteris Religionibus, eruditioni Loiolanæ forsan modestia? an

— *ire gradibus grandibus*

assueta, verendum est, ne ipsum

Attingat solium Iouis? —

deque suo fastigio Academiæ Principatum deturbet, aut in flagra & ergastula scholarum, detrahat libertatem generosioris literaturæ?

Nosti istos Polypos qui vbi quid tetigerint tenent.

Tam facilè & promptum est superos cōtemnere testes.

Non adoptandi hi Iugurthæ.

magna

— *Magna res Danaos mouet,*
Futurus Hector —

Maior hoc metu Academia.

Verum enimuerò, multa licet viliotibus vocibus, multa degeneri rumori liceant, maiorem tamen te metu hoc Academia existino; nec vlla natiua, aut virtus, tam impia erit, aut ignauia, tam perdita, & debito publico ingrata, vt te Patriæ, & vetustissimo, maximoq; laudum domesticarum culmini decus vnicum, aut summum, eripi ad tenebras, & ignominiam patiatur. Tu ipsa de eruditionis comparatione, neq; times, neq; dubitas, pulcerrimâ honoris atq; æternitatis fiduciâ. Hanc & dabis ipsa, & tuebere; neq; ab vllis insidijs, viribusuè in hanc laudum partem formidabis. Hæc est, in quam nihil Patrum, aut ambitiosa diligentia, aut operosa doctrina pollebit; hæc illa est, cuius vi, & amplitudine, nihil in Iesuitis fama, rumor, aut tu suspicies, vt excelsius; vel metues, vt validius. Stipendia quoq; opes, honores, ædesq; & fundi, tum quicquid Academiæ inuiolato nomini, inter magnarum vtilitatum titulos debetur, tua sunto. Nihil in hæc sibi licere Patrum vota volent. Inter proprij Collegij tecta, suæ Societatis iuuentam, ad sui instituti mores ac disciplinam, educendi libertatem ac beneficium petunt. Si quos præterea ætas, animus, aliaq; necessitudo eo tulerit, quæ inuidia erit, intra eiusdem pomærij magnitudinem pluribus ducibus ac magistris domesticæ adolescentiæ indolem, ad pietatem & eruditionem adduci? Omnis enim literarum, & crescentium progressuum gloria, in Academiæ titulos transibit, & sub illius cognomine; sub illius beneficio, si annuitis, si iubetis, summæ rei præsides, viuet, stabitq; & spes suas, ad præmia, & honores ordinabit. Horum ius omne penes vos erit, & potestas, Quisquis enim

Nec ronchos metues malignorum.

Libertati, priuilegijs, stipendijs Academiæ non timendum à Iesuitis qui sua, & sibi tractabunt.

Quomodo res componi, firmariq; poßint Iesuitis ad domesticas publicasq; Collegiorũ lectiones admißis.

ex

ex alicuius eruditionis puluere lauream petet, eâ lege, qua solet dari à vobis, poscet, & à vobis solis poscet. Maneat eadem lectionum auscultandarum, aut soluendarum necessitas, & quaecunq; publicorum actuum caeremonijs, atq; solennitatibus consuetudo, & Academicae tabulae obligarunt, Academiae meritis, vsibusq; sarta tecta praestentur. Fas quoq; erit huc reliquum animorum, studiorumque obsequium omne descendere, vt iuuentus vniuersa, quae extra religiosae togae sacra, mentium morumq; libertatem circumfert, publicis Academiae legibus teneatur. Patribus suae disciplinae tenacitas, & proprij arcani seueritas sufficiat. Nullius liberalitas in Academiae beneficium inscripta, destinatione suâ fraudetur: quicquid olim vetus cura attulit, quicquid hodie nouae munificentiae manus adiecit, Academiae vsurae atq; proprietati integrum mansurumq; esto, etiam illinc, vnde partem laboris solius Patrum vices transfundi fortasse casus iusserit. Reliqua communia, & mutua esse, quid prohibet? disputationum, & experimentorum publicorum exercitationem, & si quid praeterea exemplo, ac aemulatione pios sanctitatis, & literarum successus acuere, atque excitare potest. Qui hic

Periculosae plenum opus aleae,

turbas ac plusquam quietam animorum, studiorumq; concertationem ominantur, nimis ferociter, nimisque barbarè patriam aestimant, etiam postquam domesticae modestiae exempla suppetunt. Quid alibi cultus, humanitas, decusque composuerit, qui in nullius celebritatis gloriâ vidêre, omnia à suis moribus, aut maligni metus conuicio effingunt. Plena pacatae coniunctionis Italia est, illa eruditionis, parens, ac literaturae omnis Antistita. Per Hispanias,

Non generosè turbae ac tumultus interdiuersi nominis studiosos futuri, censentur.

Satis quietorum exemplorum extra Poloniam.

magis magisq; indies pertinax Academiarum magnitudo, in beneficij sui consortium, Patrum studia admittit. Quid iracundiùs olim Gallia, vbi Academiæ inimicitiæ, odiaque, vsq; ad hæresis criminationem, Societatem persequebantur? Quàm blanda tamen hodie passim literarum communicatio? quam felix & non irrita in multis copulatio, aut consensio? Transi ad Germaniam; nihil ad quietem placidiùs, nihil ad naturæ simul, & peregrinæ mansuetudinis pignora sanctiùs. Flecte paululum in Belgium, & illa acerrima etiam inimicitiarum nomina; annon illic & Theologia, & Philosophia, totam omnino pacem, & successus implent. Constet etiam reliquo terrarum & Academiarum Orbi, Cracouiam, non doctam solùm, & magnam, & celebrem, sed placidam etiam, & æquabilem esse posse. Non quidem hoc non sperare fortè Goleni potes, non vis tamen fieri; sed vt *beati & florentes in templis &* ,, *scholis proprijs sint, optas, quas iam tam spissè* ,, *conseuerunt, vt paulò post etiam Ludorum* ,, *magistros pagis expulsuri sint; oras etiam nè* ,, *se in angulum vestrum vetustum & pauperem, in quo à ducentis annis paruo stipendio* ,, *fidelem operam Reipubl. impenditis ingerant,* ,,

Alia Calumnia à frequentia scholarum.

Ius oras merum meo quidem animo si alio Patres voto quàm à modestia & quod hactenus monstraui, ad *scholas* & *templa* contendunt; si tuo, aut vllius omninò Professoris *stipendio* se *ingerunt*. Illud *spissum* magis, quàm validum est conuicium, vsq; ad *pagani* omnis *Ludimagistri* extirpationem, *spissè à Patribus conseri scholas*; quando

quandoquidem nusquam nimis literæ, nusqnam nimis pietas *spissè consita est*, etiamsi ad *pagos* paulò frequentior migret. Et hactenus quidem iratus tantùm, aut facetus tantùm Goleni fuisti; posthacetiam acerbus, iniquus,

— *& illud quod dicere nolo*

eris. Postquam enim violentæ disputationis licentiam à te confictam, armatamque, narrasses, nunc demum, *quàm indignum Patribus sit, vt eò* ,, *se vi intrudant, & per armatam potentiam*, ,, *quò sub persona humilitatis intrare nequeunt*, ,, *publicæ existimationi* permittis. *A vi & ar-* ,, *mata potentia*, quibus nunc solis vocibus, domesticæ linguæ iracundia, vsque in peregrini sermonis tumorem potenter, inflatur, facilè Patres, publica & priuata disputationis conscientia vindicat, cum nihil *vi & armis* tentatum actumuè sit.

Ecce iterum magnos corrodit liuidus vngues.

Peior calumnia, famam totam Patrũ lacerans.

— *Non si te ruperis inquam, Par eris;*

non si tibi pariter

— *Iupiter ambas*
Iratus inflet buccas: —

aut ex omni Vrbis aggere, vicinæque tabernæ ebrio sonitu, simul omnes bibas

— *conclusas hircinis follibus auras*
— *plenos & tempestatibus vires*

quantis Homerum, & mare impleuit Ithacus: nisi si hoc tempestas, aut intemperies potiùs fuit, quæ te in hoc conuicium rapuit, vt absque larua & *persona* calumnieris. Quæ enim hæresis? quæ impietatis professa iracundia? quæ deniq; odiorum impudentia, probrum animosiùs, aut manifestiùs dixisset? Quid enim ingenuæ virtutis dignitati relinquis in eo nomine, cui *personam* tantùm modestiæ, & fucum,

Nibil ex integritate Patribus relinquit Golenius.

ac

ac speciem *humilitatis* concedis. Non pars minima integritatis, religionisque, qua contra circumtumultuantium errorum impuritatem, læta Ecclesiæ innocentia firmatur, est Patrum Societas; cui si Academici Rectoris decreto sinceritatem aufers, quò sacrorum honorem? quò veritatis spem, & consecratæ iam pietatis, existimationem proijcis? Plus est, quàm odisse, hucusq; odium publicasse; vbi non priuatam solùm sed vniuersam Religionis famam atque ingenuitatem falsitati, aut simulationi tradidisti. Quod si non te humanarum legum disciplina, non ciuilis prudentiæ iustitia, non illa per aras, sacrasque ad innocentiam maiorem euntia supremarum infularum consulta, scita, sanctionesq; pietati admouêre; at Diuini Numinis metum, & quicquid secundum Deum humanæ caritatis fæderi debemus, te intra moderationis animum, & conscientiæ memoriam stringere oportuit. Nam tametsi nulla voti sanctimonia, nulla priuilegiorum felicitas, aut sacerdotij reuerentia, Patres à promiscuæ calumniæ licentia vindicasset, intra commune tamen æqualitatis nomen manebant, aduersus quod hominem publica potestate præditum, & illum disciplinæ omnis, & humanitatis moderatorem, illum inquam communis sacerdotij pignoribus amori, & modestiæ obstrictum, ad hanc vsq; iratæ mentis acerbitatem efferari, nefas erat; Quis enim adeo

— perisse

frontem de rebus —

credidisset, vt hic se conuicium nouissimæ malignitati approbaret? aut

qua

— quæ hos tam barbara mores Admittit —
eruditio? aut quicquid illud est, quod humanitatem vltra humanos titulos violandam rapit; An hæc datæ magnitudinis lex? & non degeneris Dictaturæ

Hæc mera libertas? hanc vobis pilea donant

odiorum necessitatem; aut iactantiam? Quantâ securitatis cautione, sacrarum legum statuta, in sacros homines, emissa non tantùm conuitia sed ipsas ambigui facinoris exprobrationes, imò verorum criminum publicationes, prosequantur, tua te pulpita instituere, vel admonere potuerant.

Nam nihil est sceleris quicquam, quò prodeat vltra.

Si tu oblitus es, at Dij meminerunt, meminit fides. Sed de his Patres, nisi omninò (vt tuis vtar laruis) sub *humilitatis persona*, personati toti sunt, tecum, si volent, iniuriarum agent, aut alius

Orator caueam tumultuosus

qui magis implere, & maioris vltionis irâ mouere potest. Post hæc veluti elanguit calumniâ; nisi mox se immanius erexisset Prius illud est; *Patres*, omnia à te narrata fictaue *præsumere, contra securitatem à Rege, & Archiepiscopo Gnesnensi datam, quæ Patres nihil, nisi ex sententia Comitiorum tentaturos promisere.* Facile hæc.

Quid si pernegant, quos nominas?

— Dijs ignoscentibus ipsis

non credimus, aut non ex tuo animo, verbisq; credimus. Quid enim promisit Rex? aut retulit Archiepiscopus? imò quid tentarũt Iesuitæ, vt falsam securitatem Rex, & Archiepiscopus obtruderet? Disputationemne in ædibus, temploue non habendam? Nihil nominauit hic calumnia; traxitque

Quò te circumages? quæ prima aut vltima pones?

De nihilo nihil, —

— *& tamen illud*

Per didit infelix nil, —

cũ nihil ex armatæ disputationis vi & potentia educerepotuerit, quod Regiam fidem, vel securitatem Academicam violauit. sed hæc leuiora. An te etiam pudor iam, & gloria intrat? nihilq; ex te posthæc contra Patres proferes, etiam cum tuum maximè proferes? Nam illud quale est: *Hanc tantam Patrum cupiditatem considerantes Politici, clarè dicunt (quod tamen nos de illis, vt de hominibus Religiosis non sentimus) eos per illas scholas suas pagos aucupari, & cœlum hominibus digito monstrare; ipsos verò ambabus manibus terrestria bona prehendere; Callimachiam quãdam à longè ceruicibus nobilitatis inducentes.*

Quisquis ferrum parat neci, sic illud habet, vt possit suum negare.

Multiplex & impia calumnia

Facete nunc demum istbac nata oratio est.

Cupiditatem ipse ex animi tui sententia, & non alieni pectoris sensu Patribus inpingis, colorem & probationem ab alijs mutuaris. Neq; tamen cupiditatẽ hanc tantam in propositione vlla, nisi scholarum, designasti? infers autem & opum cupiditatem in pagis, bonisque rapiendis, & quicquid cælo relicto, in terris peti posset. Adeò inscite acerbus iocus

Cupiditas Patrũ malignè ex vno ad aliud à Golenio detorta

— *rasis ludit in antithetis,* —

quem tamen lætissimæ argutiæ forcipe emendans, insidiosam Iesuitarum paupertatem, &

— *Spem macram supplice voto,*

Nunc Licini in campos, nunc Crassi mittis in ædes.

Flexa, non falsa, autumare solet dictio Delphica.

Accipe non inuitam confessionem, de scholarum cupiditate; in qua nihil præter operam, labores, & pieta-

pietatis simul, atque eruditionis successum cupiunt. Quicquid vltra, famæ, rei, gloriæque accedit, quicquid sponte venit, non cupiditatis, neque auaritiæ est, sed fortunæ, & alieni animi. Vbique hæc sequuntur, eô pulcriora, & innocentiora quò modestiùs veniunt, & nullis pactorum legibus, aut stipendiorum necessitatibus. Quid præter hæc verò, non Academia omnis, non scholæ & professiones sollicitãt? aut quando vllius cura, & fatigatarum noctium pallor, non in mercedum largiorum, honorumque, & incrementorum felicitatem erigitur? si tibi quoque fuit honesta magni tituli atque stipendij cupiditas, & hodie officij possessio; si adhuc

— cibus magni quoq; vulturis —

alicunde tibi expectatur, cur alieno tantum vulneri

— quærens illidere dentem,

iram, inuidiamque vndique acuis? An

— vos Troiugenæ vobis ignoscitis

in aliorum animos famam, securitatem, tantùm inuidiam, odium, & supplicia poscitis? Etiam antea, quantam à te modestiam, & inocentiam Religio sacerdotiumque posceret, admonui, nunc reuoco solùm memoriam, quamuis tardè, nec amplius innocenter venturam. Quid deinde grauius, acerbiusuè fingi, aut vulgari, contra tot intemeratarum mentium necessitates? contra sacramenta, paupertati, & quieti obstricta, quam auaritiam, ambitionemque cælo illudentem, talemque famæ vsque ad cælestia mandare. Nec enim artificio tuo idonea visa est, minor Patrum cupiditas, quam quæ per diuinarũ rerum simulationem, & deceptæ pietatis specimen, mortalium simplicitati imponat, & hoc quod *monstrat*, non tribuat è *cælo*, & illud quod perfido vo-

Quomodo scholas cupiant Patres:

Quomodo alij & Rector.

Illi — viles, nati infelicibus ouis

Quousq, calumnia ascendat.

eo tegit, *diripiat in terris*. Superasti conuicio, quicquid vitium esse potuit: transijsti indignationis omnis licitæ, illicitæque vires, audaciamque quæ intra eiusdem religionis sacra esse potuit, dum nihil Patribus ad *cælum*, ad Deum relinquis sincerum, nihil in *terris* ad opinionem & æstimationem inviolatum, integrumq́. Si tamen vniuersæ calumniæ facetiam (nam iocum, & acumen quæsiuisti) in tota accusationis latitudine excutimus, quos sacrorum titulos, tam vasti conuicij malitiâ, non lacerasti? vel in discrimen à calumnia tua non traxisti? Adeste, æstimate ô sacerdotia, infulæ, purpuræ, & illud summum sacrorum imperium, omnesq́ qui aliquid *terræ* fundi, & bonorum tenetis, speratis, optatisue, & tamen muneris officijq́ vestri legibus, *cæli*, & salutis alijs *monstrandæ* necessitate deuincimini. Vos denique aliæ Religiones, quæ aut *terrenorum bonorum* ope, auxilijsque sustentamini, aut humani præsidij in *terra* egetis, dum *cælum alijs monstratis*, vbi *digitum*, vbi *manus* innoxias habetis? Nam, qui credit hoc in Iesuitas solos ludere acumen, nimis ipse est

Plusquam Iesuitas Goliniani ioci acerbitas violat, cum idem in omnes Episcopos, Religiosos & Sacerdotes ludere possit.

— *acuto capite, auribusque longis*

se tegit, At manifesta contestatione, dictum à calumniæ voto, & tua sententia vindicasti, cùm, *te id de Religiosis hominibus non sentire*, Profiteris

— *Dignus es*
Cum tua religione, odio: —
& — *cui festa luce coquatur*
Vrtica —

aut totus Anticyræ hortus. Nimis trita iam, & com-

Tacita Golinij velut protestatio malignè instituta, vt eò securiùs & validiùs pungeret.

plosa est illa I Consultorum quæstio, An protestatione de non conuiciando facta, sine fraude conuicium in alium dici possit. Quod, tanquam Rector non ignorare; tanquam bonus vir, non contemnere poteras, nisi si

— iniqui ius ignorant, neque tenent.

Cæterum aliâ insuper veluti protestatione, non solum ab animo tuo, de quo non dubitamus, sed ab Epistola tua dicti infesti improbitatem auertis?

Credimus? an qui odére, ipsi sibi somnia fingunt!

Neque ego adhuc tuam hanc figuram, transfigurabo. Ideone enim liber, innocensque, & culpæ, dedecoriq; exemptus? Quid iura illa, quibus præsides? annon eodem crimine, pœnaque auctorem calumniæ, & eum qui vulgauit, persequitur? Tua ideo deterior est causa quia patet mens, consilium, spes; totæq; te literæ preces, & manifestaria calumnia produnt, & ipsa principalis querelæ professio. Quod enim aliud tibi hic votū, quam ea maximè educere, quibus odium in Patres publico Conuentui, & Comitijs persuaderes? ideoque pessimum, ac veluti præsentaneum maximè conuicium, ex omni hostilitatis lingua conquisiuisti. Hic quidem tenere te licuit, nisi tamen, & illos agnoscere liberum libitumq; esset, quos tibi auctores, adiutoresque & sarcinatores operosi eius maledicti esse voluisti. Qui ergò hi, quibus

— nihil est quod credere de se,

deq; alijs non possint ipsi? aut non alios velint?

Arcano tibi ego hoc dico, ne illi ex te sciant,

Neuè alius quiquam —

Peregrinum quiddam video.

Non decet calumniā neq; alijs narrare neq; audiendo suscipere.

Famosi dicti, scriptiuè auctor, & editor eadem noxâ tenentur: quid, qui illis in adiumentum & testimonium, vtitur?

Epistola ipsa, & antecedentia ac subsequentia cōuicia, facile animū Golenij cōuincunt aut manifestant.

Hic mulget hircum, illi supponunt cribrum.

— *ex vltima Occidentis insula,*

aut — *ex Arabia penitissima* ,

nisi nomen Græcum esset,

— *Omen habens clari, magniq; triumphi*

Et ferè

— *Heroas sensus adferre videmus*

Nugari solitos Græcè. —

Quales Politici à Golenio adducantur, auctores dicti.

Itaque agedum — *ede*

Audacter committe luci —

Quod genus hoc hominum —

Politicorũ, nondum in Latinam linguam exire volentium, quod etiam per sacrorum arbitria incedit, vltroq; à sacris trahitur,

— *Monstrum nulla virtute redemtum ?*

Iam diu quidem vniuersæ prudentiæ ambitione, aut ostentatione, maximis hoc

— *nomen datum præconijs,*

ita regna, aulas, Principes, consiliaque, & fortunas, ac spem mundi intrauit, quasi

— *summa cæli raptum de parte Prometheus*

Donârit terris. —

Itaque, in quibus id hæsit, ijs rumor principatũ gloriæ per intima sapientiæ consilia euntis dedit. Nondum penitus penetro. Nam altiores hi iam videntur esse, & acutiores, quàm quibus Stagiræ alumnus olim à Rerumpub. sincerâ cura, scientiaq; id nominis dedit. Quod si ergo aliud sunt, quàm

— *bona pars procerum* , —

— Non si quid turbida Roma Eleuet, accedas, examẽve improbum in illa castiges trutina.

aut non nisi vnus, alterq;

-- *qui de magnis maiora loquuntur* ,

vel aliquis

-- *magni Messalæ lippa propago* ,

cur non expectamus ,

-- *Curius quid sentit, & ambo Scipiadæ? quid Fabricius ?* --

& quod

& quod consiliorum adhuc sincerum est. Expendendus pulsandusque, non spectandus tantum fulgor hic est,

Ne qua sub arato mendosum tinniat auro

deceptæ, aut decepturæ prudentiæ scoria. Si hi tibi tamen placuere, sane

Illud fermentum tibi habe: —
— sed nullo thure litabis
Hæreat in stultis, breuis vt semiuncia recti.

Non tam lac lacti simile.

Sunt alij, quos

— nisi seductis nequeas committere Diuis:

nunquam tamen impij, nisi spes, timor, vtilitas imperet, per quos

— genua incerare Deorum

quoq; prodest, etiam cum Deos odêre, dum te non oderint. Vilissimum genus est,

— quos farre suo custodit, & are,

quisquis in potentiæ, opumq; pericula, & animosa honorum vota

— magnas comitum disponere voces

laborat. His vna salus, vnaq; prudentia,

— à magna non degenerare culina

Et iam

— ecce inter pocula quærunt,

quod paci mollius consiliũ, quo bellũ expugnẽt ictu,

— vbi densari cuneos, vbi cornua tendi
Æquius, aut iterum flecti; quæ montibus apta,
Quæ campis acies. —

Cum videre, voles Epicuri de grege porcum.

Nec tamen his quicquam expugnatius, quàm

— grandes patinæ tucetaq; crassa;

promtis tamen per omnia morum momenta, & cum Sochrate ad carcerem & venenum, linguâ ire;

Quaq; docet sapiens braccatis illita Medis Porticus
— pauone ex Pythagoreo

Qualiacũq; voles, Iudæi somnia vendent.

educere. Hic tibi, si placuit aliquod Golcni,

— rarum & memorabile magni
Gutturis exemplum —

ad

ad huius tantæ calumnię epulum, similium odiorum fami exhibendum non mirum est, te ad Iesuitas, Ponticum solum hunc bolum misisse. Decoctius aliquid esse debuit, quod illos strangularet,

— *& qualem Claudius edit*,

Veri criminis offa præparanda? Cæterum non ferè in culina conuicium hoc natum est, sed inter illos

Somnia pituitâ qui purgatißima mittunt.

Maxima hæc turba, aut maximi est,

Qui in occipitio quoque habent oculos,

Quid in Arcacia Pacorus de liberet aula.

quorum nihil aciem effugere potest.

Quod quisque in animo habet, aut habiturus est, sciunt:
Id quod Rex Reginæ in aurem dixerat,
Sciunt
Quæ neque futura, neque facta sunt, tamen ij sciunt.

Huius deinde fæx, & superbæ quisquiliæ,

Qui omnia se simulant scire, neque quicquam sciunt,

sed pars alieni palpi, è tintinnabulorum gente, ad cuiuslibet contactum resonant, omnibus arrident, rident omnes,

Quibus nihil sui est, nisi vna lingua.

Vt ridentibus arrident, ita flentibus adjunt.

Liberrimæ hoc genus malitiæ est, nisi aliud peius esset, quod

Rubiginosis cuncta rodit dentibus,

Nec cæteros moror,

— *Quos custos Gallicus Vrbis*
Vsque à Lucifero, donec lux occidat, audit.

Lateant, nullosque notent,

— *Sitque illis aurea barba.*

Ad singulos quidem æquum erat te adducere, & tandem callidum illud, & vastum contumeliæ secretum, in vnoquoq; excutere, quo animo tibi quisque credidisset. Sed conferam multa in compendium, omnesq; illos, teq; in vno nomine apprehendam,

Et

Et quia ipsum a te est; dic adhuc; etiamsi aliud erit: tamen

Quicquid id est, eloquere mihi —

Politici inquis. Benè habet, quod non Academici, non Religiosi, non Sacerdotes, non Aulici, ac ne quidem boni viri. An hoc tu non dicis? nimis politicè agis. Sanè quid dicas nescio; quod tamen dicis, cogam te fateri, & talionem petam.

— *Exorsa hæc tela non malè est:*

Cui prodest scelus is fecit.

Politici ergo, te referente, *cupiditatem* auaritiam, falsamque pietatem *Patribus* assignant; *tu tibi tuisque eam de Religiosis hominibus sententiam esse negas.* Alteram hîc partem necesse est verum dicere, aut sentire; illicque fas, decusque & bonitatem esse; alteri parti falsum inesse oportet, & meræ calumniæ nefas, in quo non inest probitas, aut innocentia. Itaque neque hi posteriores probi, neque boni; neque probi quicquam boniue habent, quod benè & innocenter boni sequantur, A te tamen his sententiæ tuæ, vel (si verbo negas) literarum tuarum, Goleni, fides tota, & accusationis, probationisque pondus, atque momentum, adducuntur. Horum vocibus & suffragijs vniuersus luxuriat odiorum affectus; per horum asseuerationem triumphat Epistola, horum auctoritate validissima pars criminationis constat; horum denique testimonio quicquid scribis, quicquid speras; quicquid postulas, quicquid demum accusas, iniuriam, aut ius suum habet. Ac vereor, ne

Dilemma, de quo Politici & Golinius viderint.

Magna inter molles concordia.

— *de cella sit eadem ille tua*

Quandoquidem ergo *Politici* tibi maximam scribendi, criminandique fiduciam, atque vim dant si bo-

Aliud soli Golinio obligatum dilemma.

ni sunt, cur cum bonis non sentis? & pars vltro veritatis es: si mali cur his testibus, & socijs & auctoribus, fautoribusque ad causæ tuæ præsidium vteris. Alterutrum opus est vt eligas, & tamen in neutro bonus eris. Sed hoc scias me de te non sentire. Legem tamen, quam tulisti, ipse teres.

Redditur figura sua Golinio.

— Nec meum audet
Rem tentare pudor —

vltra. Nam & tu hic claudis epistolam, à conuicio ad preces, & obtestationes reuolutus, *rogans* „ *aliorum consiliorum, & mandatorum pub-* „ *licorum, ad Comitia ducendorum necessita-* „ *tibus, hanc quoque inseri, vt Patres machina-* „ *tionibus suis artificiosissmis, Academiam e-* „ *uertere supersedeant.*

Sposobamy swymi Arcymisterny mi, id est modis suis Archimagisterialissimis

Bonum habe animum —

sed qualem hactenus gessisti. Si modestiam egredientur Patres, si machinarum & molitionum artificia, & quicquid vernaculi verbi tergemino magisterio, artificiose indicasti, euertẽdæ Academiæ adhibuerint, non ad Comitia tantum ibit fauor, gratia, auctoritas, sed ad præsidium, & vltionem, & securitatem Academiæ. Animos & vires sua cuique virtus dabit; tu præmia quoq; adijcis. Nunc quidem, ô Proceres, ô Nobilitas,

Pone domi lauros, duc in Capitolia magnũ Cretatum que bouem

Hunc hominem decet auro expendi,
Huic decet statuam statui ex auro,

qui, quod nulla ætatis vestræ prudentia, fortunaq; præstare potuit, *felicitatem maiorum vestro-* „ *rum, & libertates vestras proprias* hactenus „ oppressas ademptasq;, nunc *restituendas* pollicetur. Pene exciderat, quod antea per infestum libertatis

nomen

nomen à te traductum, non capiebam in peregrino, aut mutilato verbo, cum scriberes, *Calimachiam*, *à longè ceruicibus nobilitatis à Patribus induci.* Nunc postquam res liquet, nè dubitas;

— *habebunt verba fidem, si*

Græco fonte cadent, —

nisi, si tibi vox pergræcata fuisset, quando Græca neque Græcè, neque alio sermone rectè scripta est. Nec mirum, quod tu

— *lingua pariter locutus omni*,

in nulla benè es, postquam de omnibus malè loqueris. A quâ enim repugnantium verborum coniunctione, pugnacis vocis nequitiam educemus? aut è cuius hominis nomine sic formatam, instructamque *Calimachiam* componemus?

Vide, vt homo hominem noueris. —

Ego, & quia tuâ interest, & publica expectatio postulat,

Literis reminiscar: Est principium nomini,

aut totum nomen, *Calimachus*? Nullum eiusmodi historia, vel scelerũ index, aut magnorũ *bellatorũ* stipendia prodidere. An verò tibi satis est, *bonorum impugnationem*, malè coagmentato verbo quomodocunque Patribus impingere, cum huc proximè vocabulum accedat, tametsi non plenè Græcum sit. Tu quidem plenissimè *Calimachiam* ingressus es, qui insolito calumniatum genere & recto impetu *bonos impugnas.* Et quamuis tales non existimares Patres, bonam tamen eorum apud plures famam, aut qualemcunque, non benè tractas, quod haud boni viri officium est, si modo non falsam censemus sacræ, ciuilisque omnis doctrinæ innocentiam. *Minus enim*

Calimachiam Golenius pro Callimachia scripserat.

Mirificè sperabas te esse locutum,

Opus facto est & viatico, ad triuium nomen.

Hoc est; alteri de nihilo audacter dicere contumeliam.

bonus est, qui tantùm bonis bonus est: quid is, qui bonum aliorum nomen, non permittit integrum ad alios venire? aut fidem bonitatis in aliorum mentibus, atque existimatione euertit? Quid tergiuersaris? & Græcum hoc pallium, quo nimis

Animos à crimine sume.

— *palliolatim amictus*

es, aliò vertis?

In re mala, animo si bono vtare, adiuuat.

Iuuaberis à me si non displicet huic Theseo, hæc Ariadne. Ergo, vt vox integritati suæ restituatur, quod de te, aut à te fieri non potest, vnâ litera longâ, & tibi satis fieri posset, & illi fiet, quem pro tuâ Græcarū literarum cognitione iminuisti, vt longum tamen ex eo verbum faceres. Quam enim malignè tibi

— *intra labra, atque dentes latuit vir minimi precij,*

vt non integer exiret, quo non integrè vtereris? An potius præ iracundiâ; vel noui verbi gaudio

— *deuorasti nomen imprudens modo?*

cuius tamen malitia, vsque aliorum contumeliam, & falsi cognominis iniuriam occurrit. Ne diu itaque teque nosque morer, an aliquis Callimachus? an

Ad hoc exemplum est — —

ex veteri aliqua, aut recenti odiorum, vel improbitatis tabula? Sunt quidem hic, & illic, quos sæuitia, & callida, aut infesta consilia iniquæ celebritatis magnitudini commendat. Sed ego memor de Collegio struendo, instituendoque, & subruendâ Academia agi, teque Iesuitas *mirificè excogitatorum modorum artifices & Archimagistros* dixisse, vel adhuc dicturum, omnino τεξίτεχνον illum suspicabar, quem veluti artium distillatorem iubere potes tibi interpretari. Is enim lapides primus repperit minutatim tractare, & saxa perforare, vbi Academiæ timebam. Nam aliū illum Battiadem, in te solùm, tuoque calamo

Callimachus τεξίτεχνος.

Aliter, Poeta

lamo agnoui, qui acerbis conuicijs in publicū emissis,
— *inimicum deuouet Ibin.*
Hoc tamen ille te modestior, quod nomini pepercit, & in manifesta ignominiâ iracundiam non publicauit. An hic maius
Est aliquid, quò tendis & in quod dirigis arcum?
nec excutis? & plusquam Iesuitas iacularis? Vt felicitatem maiorum, vt libertatem restituas, ingens arcanum in fato suo, & periculo aperi, etiam in scelere toto, vt appareat, quænam hæc
Hostia Tarpeio seruata Ioui —
in ingentis criminis fiduciam pascatur; aliquisnè
Dirus homo, atque odio qui posset vincere Regem,
aut obruere; quippe, in quo Regis etiam existimatio, & veluti latus petitur. Parcere te quidem hic conuicio, fas erat Golini; neq; à tuis illis, ad hos vsq; fasces contumeliam aut inuidiam erigere, si modò Callimachus iam repertus est, qui crescenti voci audaciam & nefas dedit, quem videlicet maiorum ætate Italiâ sua, & magnorum scelerum meditationibus, in Poloniæ penè exitium fata expulêre. Hunc enim, postquam Ioannis Alberti familiaritatem, & intimam potentiam callidissimis obsequijs irrupisset quicquid domi non successerat, foris tentasse, & non exulis animo concepisse, annales tradunt. Præcipua periculorum, odiorumq; materies, quod nouis, & insolitis machinationibus, Regi vires, sibi opes struens, subiecit consilia incautæ Principis iuuentę, quibus nobilitatis animos, remq; multiplici exitio illigaret, debilitaretq;. Nunc quid aliud restat, quàm (vocabulo à te instituto, productoq; si satisfeceris) vt clarè Callimachus Iesuitas, & Regem Callimachizantem in suis nominibus quoq;, & consilijs atque molitionibus edas, pronuncicsq; & Callimachiam iam in suo apparatu, & instrumentis exponas. Plus

Non semper feriet, quodcunq; minabitur arcus.

Nullus enim magni sceleris labor.

Tertius Callimachus quidā Tuscus natione in Polonia Ioanni Alberto consilia suggessit nobilitatis imminuendæ

Sanctorum nobis miracula redd{ū}s auorum.

hoc eſt, quàm Patres reos facere; eoq; peiori iudicio, quod non à Rege, ſed à nobilitate, à Comitijs, aut turbidâ aliqua viriū parte, iram, atq; vindictā petas.

Acribus exemplis video te claudere, —

quibus aliquid ſupra illud, quod nominas in odium rapis. Fauet etiam nomen, ne quicquam, niſi Regium ſit, dum totus hîc Baſili

Baſilicè exornatus incedis;

qui ſine verecundiæ vllius & obſequij, ac maieſtatis reuerentia,

Baſilica quidem facinora ineptus loqui.

ſic enim rem propoſuiſti, vt quicquid abſque Rege produxeris Callimachia futura non ſit. Ohe

— *Quid non audeat annus*

Golinianus! Hoc nempe reliquum fuit, vt poſt ſacrorum iniuriam ſceptra inuaderes,

Scio haud te eſſe bona voce nè clames

Non deerunt Zephyri, ſi te dare vela iuuabit.

Nam hactenus videri poteras contumeliam ſimilitudini tuæ feciſſe, dum intra togam manſiſti. Nunc vt obſequij innocentiam perderes, manum etiam purpuræ, & ſolio inijcis. Id ſi non magnitudo ſua ſupra ſuſpicionem & calumniam eleuauit, at virtus, pietaſq;, in nullius calamitate ferox, in nullius ſanguine cruenta, in nulla Nobilitatis ignominiâ ſordibuſq; ſuperba, è tam diuturnæ manſuetudinis conſtantia, tibi approbare potuit. Quod non bella, aut rebellio, non victoria, non vltio, non pericula, triginta amplius annorum affectib9 extorquere potuerunt, id tu pallio ſcilicet Academiæ ſpolia ferenti aut offerenti, hanc animi & potentiæ quietem, hanc moderationis ſtabilitatem, daturam perſuades?

Itane huc paratus aduenis?

Multa parauêre hoſtes; quædam tentarunt rebelles; aliqua calamitates obiecêre; nemo plus exprobauit.

Sed

Sed ego, quàm leui manu, tam magna transeo! Quod si minorem aliquam Golini, aut nescio quam Callimachiam maligno verbo tegis, etiam è Batrychomyomachia educ, vbi tu aliquis Physignathus aut Pternotroctes; quandoquidē ex illa pugna, aut peiore, hîc à te producuntur illi calumniarū exercitus.

ἐξ αἴφνης νωτάκμονες, ἀγκυλοχῆλαι,
λοξοβάται, στρεβλοί, ψαλιδόστομοι —

qui etiam illos scindunt, proscinduntq;, quos nondum in aciem profers. Clariùs de his prode, si audes; vt constet, vt credatur, quomodo Iesuitis, ab Academia exclusis, libertas & felicitas redeat. Sanè tanti est, nunquam illos Academiam intrare. Sed cur non hodie redit libertas, dum nondum illi intrauere? aut cur non tum fuit, cum nondum istic Iesuitæ essent?

Ex improuiso, habentes incudes in tergo, vngulis curuis Obliquè ingredientes tortuosi, forfices in ore habentes?

Et hæc quidem Goleni, Epistolæ tuæ, tibi vè, sed soli, non ambitiosâ iurgij libidine, vel superbâ inimicitiarum ostentatione, sed tristi humanitate, & inuitâ hodie necessitate, pro communis existimationis defensione (cui conscientiā & operam debeo) reddita sunto: quod sine fraude & iniuria muneris, famæq; tuæ, dictum factumq; volo. Academiam autem sic loqui, sic rem suam agere, quemadmodum tuarum literarum ferocia in negotij huius impetum desęuijt; aut sic per Religionis vllius, aut omnino sacri vllius nominis ignominiā conuiciumq; suspicione, simulatione, aut dissimulatione, ira deniq; & criminatione grassari, nullum tuum odium, ac ne dignitas quidem persuadebit. Nunquam enim Academia adeò prudentiam simul innocentiam à se totam potest abijcere ne dum tota, ne quidem si infelicē esse necesse sit; quod tamē de suis non timere potest meritis, patriçq; cōsensu, atq; amore, in quibus libertas securitasq; & non dubia felicitas, qui mihi quoq; finis, in qua saluberrimè omne finitur votum.

Ex Lucomonum familia sunt quicquid intrent in festum reddunt.

Prophetia S. Hildegardis
Bzouij To. XV. fol. 465.

Varsaviam 1626 . 26 Febr.

Audio dixisse R[mum] Legatum hdo verba: Habebant
Iesuitae pro se favorem sententiam: Si haec ita sunt
regnum iudicium. Neque enim decet sedem summam
ad favores inclinari. Christus est Veritas, Via, Lux
Vicarius igitur Christi est Vicarius Veritatis Viae
atque lucis. Respectus ad personas quascunque aut fa
vores lanabilis fuit dignissimus. Scient autem toti mun
dum iudicaturum de iudicio aut Rotae aut summi
Pontificis. Si quid diversum fiat, lapides etiam clama
bunt. Unionem nobis ne Sanctus quidem Paulus per
suaserit, qui sumus artes omnes Iesuiticas tam probe
quam septuagenarius aliquis Iesuita, aut eo plus. Re
velabuntur aliquando. Interim nos Philosophorum il
lud considerabimus: Ens, Unum, Verum, Bonum converti.
Magno intervallo distant Unum et Unitum. Unum est
Unum. Unitum multa continet. Lupus diu ovem
appetit, Unionem appetit. Vult enim carnem ovis
in suam hoc est lupi carnem convertere. Mitto haec
Unum exemplar per occasionem tradat R[mo] Legato.
Vale. Cracoviae 26 Febr. 1626.

SIN c CERE monis

Si quid habes Iesu, vita ne gram tibi partem
Qui socium fingit latro vafer rapiat.

Gdy na Grob
Ia zdobt Boß
pa Bostawysł
wczne Bene
Mos Vedi X slowie
napisał.
lege in dcca
notu
fuiam sarosle
wcasi





